

443

13

DE ABROGATIONE EXORCISMI
IN BAPTISMO

DISPUTATIO

In qua

SVB PATROCINIO

Dei ter optimi maximiq₃,

Præside

GEORGIO MYLIO DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO, EXERCITIJ causa respondebit

M. IOHANNES HOFSTERUS, Ecclesie Ienensis Diaconus

Die 24. Aprilis, hora & loco consuetis.



IENAE Typis Tobia Steinmanni.
ANNO 1591.



DE ABBROGIA
VIOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO

TOHERRKORISMI
IN BAPTISMO



EXETASIS

DE ABROGATIONE EXORCISMI BAPTISTICI.

Quaestio.



QUoniam acris hodie, & improvise quasi, aliquibus in locis oriatur controversia de abrogatione Exorcismi Baptistici: quaestio est, Num controversia istius cura tangere tantum aliquos, eos nimirum, apud quos haec mota est controversia: an vero publica esse omnium in Ecclesia debeat.

POSITIO

I.

SI QVI SVNT, QVIBVS sententia negans forte complaceat, eos suo sensu abundare patimur. Nos in affirmantem concedimus.

2.

Quod omnium interest, merito etiam tangit omnes. Ne autem vel ipsi Baptismi ritu initiati sint, qui impius, qui prophanus, qui idololatricus sit; vel liberos, amicos, aut socios fidei, ritu tali tinctos, habeant:

A 2

beant:

beant: id verò omnium magnoperè interest. Cura ergo controuersia istius aliena esse non potest.

3.

Iam vt facta tecta sint, inter confessionis socios, religionis capita, multum refert. Periclitatur autem duorum primariorum capitum sinceritas in hac controuersia: Vnum, de peccato originis: alterum de Baptismo, quorum illius atrocitas eleuatur: huius dignitas atque efficacia conuellitur ea, quam nuper mouere aliqui ceperunt, controuersia. Quidni ergo sibi illam factam esse pij omnes existiment?

4.

Porro capita rerum duo sunt, quæ in controuersia istius dijudicatione considerata veniunt. 1. τὰ περὶ τὸ πρῶγμα Circumstantia negotij. 2, ἀπὸ τὸ ζητούμενον cardo quaestionis, de qua controuertitur.

5.

I. τὰ πρόσωπα. In illo genere, primum sunt τὰ πρόσωπα. Autores enim nouationis istius sunt homines. 1. Nouitij. 2. Iuuenuli. 3. Non pauci etiam ἀλλοτρίοι ἐπίσκοποι, quippe politici, Iureconfulti, Medici, Philosophi. 4. Pleriq; omnes autem vehementer rerum nouarum studiosi. 5. Deniq; de Calvinismo suspecti.

II. Locus.

6.

Iam in pacatissimis, & optimorum magistratuum prudenti cura rectissimè constitutis Ecclesijs controuersia ista excitatur, vbi serenitati nubem inducunt, qui reformationis virgulam censoriam sumere in locis istis audent.

III. Tempus.

7.

Porro tam ista nouatio tempestiuè cadit, quam tempestiuè agit, qui tempore belli mentam ferit. Scandalis abundat Ecclesia, & concertationum ac schismatum vul-

tum vulneribus concisa languescit. Huic malo nouis excitatis scandalis ac litibus, medicina facienda est, scilicet, iuxta illud, Similia similibus curantur.

8.

Quo id consilio fiat, palam nondum satis constat. **IIII.**

Finis.

Aliqui autumant, quia ab hominibus nouis ista controuersia mouetur, aucupandæ celebritatis gratia istud fieri. Alijs ad periclitanda maiora, hoc quasi progymnasma quoddam esse videtur. Nonnulli suspicantur, quia nouatoribus istis maiorum auctorum conatus interclusus fortè sit, ne plenario abortu omnis opera pereat, monstrum illos maluisse, quàm nihil omninò parere. Quodcunq; horum sit, tempus propediem monstrabit.

9.

At Zelo domus Domini se flagrare dictitant, quo

V.
Prætextus.

vrgeantur, vt nisi expurgatis Papatus reliquijs, conquiescere nequeant. Tussis hæc est pro crepitu, vt dicitur in adagio. Et penulam isti, ni fallor, æstate deterunt. Nam quibus cum Papatu rei nihil fuit vnquam, neq; erit porrò, aut nunc est etiam, nisi quando cum laruis pugnare volunt, in pacesones scilicet: quid est, quod in nugis Tragædias agant?

10.

At enim disputationes vulgo crebras de Exorcismo

VI.
à φοβῶν.

non inter Theologos tantum: sed inter plebeios etiam agitari in istis regionibus, & sua de hac materia in Ecclesijs sibi commissis, à nemine non iudicia requiri, nouatores isti asserunt.

II.

Patrocli hæc est occasio. Nam cum de hac materia, istarum regionum hominibus, tantæ essent disputationes, quãti ranis Seriphijs sunt clamores, & ante istorum nouatorum

A 3

uatorum



uatorum aduentum, dubitationis aut concertationis ne-
gry quidem à quoquam hætenus auditum fuerit: post-
quam ipsi proximo hoc vno atq; altero anno nanijs lu-
is tranquillos hominum animos turbare ceperunt, cri-
men proprium, alienæ culpæ imputant, eos imitati,
qui clam igne subiecto, quo conflagret domus, exorto
incendio, per vicos & compita discursantes, de incen-
dio alios admonent, vt sceleris culpam & suspicionem
quàm longissimè à se dimoueant.

12.

Ecqui verò sunt, apud quos de Exorcismo dispu-
tationes istæ agitantur? Pontificijne? at hoc genus ho-
minum regiones istæ non agnoscunt. Lutherani? Hi ve-
rò in ritu Ecclesiæ publico, & à nemine hætenus in
his terris in controuersiam vocato, præclare acquie-
sunt. Sectarij ergo sunt, & Calvinistæ, qui huic ritui
litem mouent. Quorum garritus casta nuce æstiman-
di sunt.

13.

Quod si numerus istorum consideratur, aut pauci
sunt, aut multi. Si pauci (vt sunt oppidò sanè pauci,
adeò vt hoc nomine ilia tantum non rumpantur noua-
toribus) cur murmur istorum pensi habetur? Sin multi
aut plurimi, imò omnes: cur per ambages itur? & quod
detestantur omnes *βδέλυγμα*, non vno momento statim
aboletur?

14.

Sed suo se indicio produnt isti, tanquam sorices.
Cur enim aliquot mensium concionibus, suasionibus,
hortationibus publicis & priuatis, comminationibus,
& similibus opus est. Nimirum quia nouationem istam
Ecclesia detestatur, optimates abominantur, & heu ni-
mium pauci sunt, qui rancidas istas nouatorum merces
approbent. Periculum ergo fit, si vel aliqui possint
pellici,

pellici, qui in nassam istam veniant. Tanta nimirum ad mutationes faciendas istis hominibus incumbit necessitas.

15.

Exigui hæc, quæ dicta sunt, momenti esse, videri queant. Sed tanta sunt profectò, vt qui istac vel sola æquo iudicij libramento appenderit; statim, quid de tota ista controuersia iudicandum sit, dispicere queat. Si enim homines fidei non satis probatæ, in pacatissimis Ecclesijs, tempore alienissimo, consilio parum fausto, prætextu planè fraudulento, occasione mendacissima ad nouationes inuehendas descendant; quis nisi salutis suæ & omnis publici etiam commodi prodigus, salutare sibi ab istis quicquam pollicebitur? Sed ad momenta ipsius causæ ponderandæ accessum faciamus.

16.

Hic diuisione primùm ac finitione magnoperè opus est. Exorcismi, seu (quo vocabulo Scriptura familiarius vtitur) eiectionem Diaboli, geminam Ecclesia agnoscit, Corpoream vnã, Spiritualem alteram, pro discrimine potestatis scilicet, aut occupationis, qua ex permisso ac iudicio Dei in homines Spiritus immundus potitur.

17.

Quandoq; enim corporaliter homines à Cacodæmone obsidentur. Quod est peculiare quoddam diuinæ iræ supplicium, cuius spectaculo de immani Satanæ tyrannide, & horrenda tenebrarum potestate homines commonefiunt. Aliàs spiritualiter homines inuadunt, hoc est, animas eorum occupant impuri Spiritus, ibidemq; habitant. Luc. 11. 26.

18.

A priori malo, Exorcismus corporalis; à posteriori, Spiritualis, liberationem præstat,

Prioris

19.

Prioris illius exempla, temporibus Christi, priora aut antiquiora nulla, quod sciam, habemus. Nam quamuis Iosephus à Solomone memoret artem quandam fuisse repertam, profligandi impuros Spiritus: quantum tamen fidei tribuendum sit ἀγνάφω isti narrationi, meritò ambigitur.

Judaic. Ant.
tiq. l. 8. c. 2.

20.

CHRISTO in carnem nato, atq; ad docendum progressu, tot passim leguntur in Euangelistarum monumentis oblatis esse Dæmoniaci, quot nullis planè omnium temporum, atq; omnium populorum annalibus fuisse reperiuntur; Quod peculiari diuinæ prouidentiae consilio factum esse, ad parandam CHRISTO testandæ Diuinitatis suæ materiam, vero consentaneum est.

21.

Offerunt ipsi præter alios omnis generis ægrotos, etiam Dæmoniacos Matth. 4. 24. CHRISTVS eos sanauit. Alibi multos ipsi iterum adducunt Dæmoniacos: ipse Dæmonia statim eiicit Matth. 8. 16. Similia leguntur Matth. 9. 33. & 12. 22. & 15. 28. & 17. 18. Marc. 1. 25. & 5. 8. Luc. 8. 2. & 4. 35. 41. & 9. 42. & 11. 14. & 13. 32. &c.

22.

Si de modo quæritur: Matthæus λόγῳ, hoc est, simplicissima mandati forma id factum esse scribit Matth. 8; 16. Dixerat Marc. 5. 8. Exi immunde Spiritus: & exijt ab homine. Marc. 1. 25. Spiritui malo comminatus CHRISTVS, dicit, obmutefce & exi. Marc. 9. 25. simili spiritui dicit, Ego præcipio tibi, exi ab isto, neq; amplius eodem redi. Exijt ilicò vterq;. Hanc expulsionem ἀνθεξοσιαστικὴν aliqui appellant. Suapte enim virtute, & propria autoritate CHRISTVS, quoties libuit, vbi & quando voluit, cacodæmonia ab hominibus corporaliter obsessis expulit.

Eandē



23.

Eandem verò potestatem, miraculosam planè, Christus Apostolis suis, & reliquis etiam 70. Discipulis contulit. Nam emissis ad prædicandum, *δύναμιν καὶ ἐξουσίαν*, id est, plenariam potestatem tribuit super omnia Dæmonia Luc. 9. 1. Marc. 3. 15. Quam potestatem illi omnes feliciter exercuerunt Marc. 6. 13. Luc. 10. 17.

24.

Qua id forma præstiterint, testes sunt ipsi, loco postremum allegato. Et Pauli exemplum docet, Act. 16. 18. Spiritui Pythonico dicentis, Præcipio tibi in nomine **I E S U C H R I S T I**, ut à puella ex eas,

25.

Quin imò ita vulgare tandem in primitiua Ecclesia donum istud miraculosum factum est, ut eo promiscuè Christiani ferè omnes pollerent. Possunt hoc testari præter Tertullianum, Cyprianum atq; alios, Iustus Martyr præcipuè, atq; Augustinus, Apologet. c. 26. Lib. 4. & 7.

26.

Illius contra Tryphonem pro causa Christianorum afferenda loquentis, hæc sunt verba: Et nunc nos credentes in crucifixum sub Pontio Pilato, **I E S U M** Dominum nostrum, omnia Dæmonia, & Spiritus malos exorcisantes, subiectos nobis habemus. Item. Per nomen eius, omne Dæmonium adiuratum superatur & subijcitur.

27.

Huius verò, sic habet testimonium: Vera pietate homines Dei, aeream potestatem inimicam, contrariamq; pietati, exorcisando eijciunt. De civit. l. 1 c. 22.

28.

Tandem verò exoleuisse istud donum, ut nos haud illibenter largimur: ita persuasissimum nobis esse fate-

B

mur,



mur, meras esse præstigias Diaboli, & superstitiones
magicas, quæ de dono isto, & profligationibus, caco-
dæmonum Pontificij hodiè iactitant.

29.

Alterius liberationis, quotidiana & passim obuia
sunt in Ecclesia Dei exempla. Quotiescunq; enim ex
potestate tenebrarum erepti homines, in regnum Filij
Dei transferuntur Coloss. 1. 14. immundi Spiritus, qui
homines inuaserunt Luc. 11. 26. & in Filijs inobedi-
entiæ efficaces fuerunt, ab hominibus profligantur.

30.

Ephes. 2. 3. Potissimum verò fit istud in Baptismo, ubi ex filijs
iræ, Filij adoptionis diuinæ euadimus, & ex potestate
tenebrarum erepti, in regnum Filij Dei primùm trans-
ferimur.

31.

Cui mysterio repræsentando, atq; ob oculos quasi
Ecclesiæ proponendo, ritus ille Exorcismi seruit, de
cuius abrogatione in præsentia controuertitur.

32.

Eum hac forma verborum minister effert, Adiuro
te, immunde Spiritus, in nomine Patris, Filij & Spiri-
tus sancti, vt exeas, & discedas ab isto seruo I E S U
C H R I S T I.

33.

His verbis in hunc modum plebem Minister com-
pellatam vult: Agite, amicissimi, qui infantem istum
sacra Baptismi vnda lustrandum attulistis, primùm, quæ
sit miselli infantis conditio, expendite. Nimirum te-
stis vobis esse fide dignus possum, Infantem, quem af-
fertis, esse filium iræ diuinæ, sub potestate tenebrarum
atq; imperio eius constitutum, qui est princeps mundi,
cuius tyrannide nisi eximatur, æternum ipsi pereun-
dum fo.

dum foret. Cæterum quia CHRISTO illum adductum vultis, qui venit destructum opera Diaboli: agite iterum vobis testor, adeoq; fide sanctissima vobis in nomine Sacrosanctæ Trinitatis polliceor, iam iam expirare Satanæ, quod in hunc infantem ipsi fuit, imperium: Cuius rei tam certa in Deo, ac rata est voluntas, ut ego in hac re eius constitutus internuncius, præcipiam etiam Diabolo, iuri omni, quod in infantem hætenus habuit, renuntiare, atq; se ab imperio in eundem, ocyus faceßere.

34.

Hic iam pes figendus est, & an impietas insit in hoc ritu, an superstitio insit, dispiciendum est.

35.

Excluditur ergo ab hac disputatione Exorcismus Pontificius, qui varijs superstitionum nugis conspurcatus est.

36.

Neq; corporalis vlla obsessio hic admittitur, ad quã soluendam in infante recens nato, adiurato Diabolo opus sit. Quod figmentum quotiescunq; Exorcismo nostro nouatores tribuunt, non cum Ecclesiarum reformatarum ritu: sed cum suis laruis dimicant.

37.

Sed nec is est controuersie huius status, cum in multis reformatis Ecclesijs, vnà cum Papatu, ritus etiam iste pridè antiquatus sit, An postliminò in Ecclesias istas, Exorcismi vsus reducendus sit. Huius enim rei autores suasoresq; nemini cuiquam nos futuri simus.

38.

Quin nec illud iam controuertitur, an pars substantialis

B 2

tialis

tialis, & absolutæ necessitatis sit in Baptismo Exorcismus. Fateri enim coguntur ipsi etiam nouatores, hoc scripsisse, docuisse, sensisse neminem, non nostratum tantum: sed ne ipsorum quidem etiam Pontificiorum. Imò & verbis & factis diuersum nos testari, apertè ipsi fatentur. Quod pro confesso hîc à nobis accipi meminerint. Nam non rarò vix sibi temperant, quin Ecclesias nostras contrariæ absurditatis, insimulent.

39.

Deniq; neq; in eo genere hæc versatur quæstio. Si abusu alicubi ritum istum vitari, aut vitiatum esse contingat, an propter abusum, vsus ipse ritus istius abrogandus sit. Nam in hoc casu iudices nos, ac suffragatores habituri essent neq; duos, neq; tardos.

40.

Sed hoc est causæ istius *κρίσιμον*. Num in classe rerum mediarum, quas vocant Adiaphora, locus possit esse isti, quem diximus, ritui, Ex quo tolerabilem esse continuò foret consequens: An verò ad res toto genere vitiosas, damnabiles, prohibitas atq; detestandas Exorcismus referendus sit: quo euicto, abrogandum esse, nemo fit, qui dubitare queat. Nouatores posteriorem sententiam amplexi, atq; in eo abrogandi ritus fundamentum primum collocantes, quam id præter rationem faciant, nos, qui prioris sententiæ æquitatem approbamus, ex earum, quibus nouatores vtuntur, probationum examinatione: demonstrare aggredimur.

41.

Sic ratiocinantur nouatores:

Quicquid cum honore Dei, ædificatione proximi, & propria salute pugnat: id *adiaφopov* non est: sed in se totum vitiosum ac damnabile.

Exorcismo tres istæ notæ omnes competunt. Igitur.

Si vnus

42.

Si vnus quispiam esset, qui sic argumentatus esset;
Horatianum illud statim in mentem mihi veniret:

Quid tanto dignum dabit hic promissor hiatu?

Nunc illud succurrit: Arrectisq; auribus astant.
Nam quomodo in singulis argumenti membris sudaturi
sint nouatores, cognoscere auent. Ad primum ergo
distributionis membrum in assumptione probandum
octo alia argumenta afferunt. Quorum primum hoc
conuoluulo continetur.

1. Exorcismus sine peccato perfici nequit. Igitur ho-
nori diuino aduersatur; Et per consequens, in se dam-
nabilis est.

2. Quod ex fide non est, peccatum est.
Exorcismus non est ex fide. Igitur &c.

3. Quod verbo & promissione caret, id ex fide esse
nequit. Exorcismus utroq; isto caret. Igitur &c.

43.

Scopæ dissolutæ insunt huic argumento tortuoso.

1. Inuersione conuellitur. Si sine peccato non per-
ficitur: Igitur aliud ipse est Exorcismus, aliud peccatum,
quo ille perficitur. Consequens est ergo, In se non esse
damnabilem. Nam in se damnabile non est, nisi quod
in se peccatum est: non quod cum peccato, vel non sine
peccato conficitur.

2. Instantia eliditur: Generatio liberorum sine
peccato perfici nequit. Imò nullum etiam à nobis bonū
opus sine peccato potest perfici. Si igitur honori diui-
no aduersatur, & in se damnabile est, quicquid sine
peccato perfici non potest: consequens fuerit, genera-
tionem liberorum, opera omnia bona in se esse damna-
bilia.

B 3

Corrigen-



3. Corrigendum igitur est argumentum primum, & pro eo quod dicitur, Sine peccato non perfici posse, reponendum est, in se peccatum esse. Sic foret terminorum melior συγγένεια.

Rem. 14. Apostolici dicti genuina explicatione, vterq; sequens syllogismus confoditur, Fidem isto loco Apostolus opponit titubanti conscientiae, idq; in ipsa propria huius argumenti quaestione, de rebus indifferentibus, quae nimirum Verbo Dei neq; praecipitae sunt, neq; prohibita. Fidem igitur intelligit Apostolus, certam conscientiae securitatem de libertate Christiana in rebus adiaphoris. Quod si quis aliquid ex rebus ijs faciat, quae sunt natura sua indifferentes: sed id ambigua faciat & titubante conscientia, iam id peccatum esse. Quid ita? quia id non ex fide, id est, certa conscientiae securitate de libertate christianâ in rebus istis adiaphoris proficiscatur. Hinc primum aduersus nouatores locum istum sic retorqueo: Apostolus docet, ex fide esse posse, res adiaphoras. Adiaphora omnia sunt ἀγραφα. Igitur quae non scripta sunt, possunt esse ex fide: & per consequens, Ex fide esse, non est, ἀγραφον esse.

2. Falli istos & fallere deprehendo figura dictionis. Ex fide enim esse, & fidei caput constituere, pro synonymis accipiunt: quae tamen inter se differunt, vt forma & effectus rei.

3. Ratio ista non Exorcismi, sed rerum omnium indifferentium conditionem impugnat. Si enim nisi quod verbo & promissione Dei est instructum, tolerandum nihil est: nullum adiaphoron in Ecclesia relinqui necessarium fuerit: cum adiaphora sint, quae Verbo Dei expressa in neutram partem qualitatis reperiuntur.

44.

Secundum argumentum ita habet.

Nihil

Nihil magis gloriæ Dei derogat, quam opera diuinæ ipsius omnipotentia propria, humanis ceremonijs tribuere. Gloriam enim suam Deus alteri non vult tribui. Esa. 42. 1.

At id fit in Exorcismo: Vbi quod est digiti Dei proprium Luc. 11. 20. eijcere nimirum Dæmonia, ritui humano tribuitur. Igitur honori Dei plurimum ille derogat. At exitur infelix eorum & frustraneus conatus Act. 19. & alibi, qui hoc facere in animum inducentes, pessimè mulctati sunt.

45.

1. παραλογισμὸς committitur plurium quæstionum. Ab eiectione enim Dæmoniorum corpórali, de qua Luc. 11. agitur, ad spiritualem, quæ in Exorcismo Baptifitico sola locum habet, colligitur; Quæ est ab alijs cepta, in cepas desinens conclusio.

2. παράδοξον est & παράδοξον. Non enim dicitur Luc. 11. 20. quod solus digitus Dei ἀμέσως Dæmonia eijciat: sed in digito Dei eijci Dæmonia dicuntur, quod mediatam vtiq; actionem arguit.

3. Sed experientia magistra, falsitatis isti nouatores conuincuntur. Anne enim eijcere Dæmonia, gloria Dei talis est, quam ille alteri non tribuit? Fuerit igitur delusio, quam Christus Apostolis reliquit, de hac ipsa re promissio. Marc. 16. 17. Imposturæ fuerint, quoties eiecisse vel Apostoli, vel alij fideles leguntur Dæmonia. Quid? quod impios etiam hac virtute polere posse, Euangelica testis est historia Matth. 7. 22. Vbi igitur mens est, vbi iudicium istis nouatoribus?

4. Deniq; calumniam sapit hæc obiectio, quod Exorcismo efficacia pellendi Dæmonia tribuatur. Neq; enim præstare aut efficere: sed adumbrare & docere ritus iste

tus iste dicitur, quod Dæmoniaca istic potestas profli-
getur. Quod ergo significantiue ab Ecclesia proponi-
tur: id effectiue isti accipiunt: sicut vice versa, vbi veri-
tas Verbi diuini, effectus pollicetur, fanatici homines si-
gnificationes tantum somniant, vt vbiq; ingenij sui ver-
ginem prodant.

5. Iam hinc sponte sua patet, quam apte huc histo-
ria filiorum Scæuæ Act. 19. afferatur. 1. Illi corpora-
liter obsessos liberare volebant. In Exorcismo, de
spirituali liberatione agitur. 2. Illi in nomine Iesu, in
quem non credebant, hoc est, falsissimo prætextu eijcere
dæmonia attentabant, idq; proprij quæstus atq; ambi-
tionis gratia. In Baptismo, in nomine Iesu, cuius fidem
profitentur omnes, nec nisi in salutem baptisandi, pote-
stas Satânica eiuratur & propellitur. Vt igitur quadrata ro-
tundis: sic materiæ huic historia ista conuenit.

6. Væ autem infelici istorum nouatorum ministe-
rio, si tantum abest ab eo, Satanicam potestatem profli-
gandi virtus, quantum à gloriæ diuinæ participatione,
res humanæ omnes absunt.

46.

Tertium argumentum nouatorum in primo ordine
tale est:

Extenuare meritum Christi, non caret contumelia
in Deum. Exorcismi vsu, meritum Christi admodum
extenuatur. Ratio est, Quia liberatio à diabolica pote-
state, competens merito Christi, Exorcismo ascribitur.
Igitur.

47.

Carolstadianum planè hoc acumen est. Nam
quemadmodum iste contra Lutherum argutabatur;
Expiatio peccatorum in cruce CHRISTI facta est.
Ergo

Igitur remissio peccatorum in Cæna non est requirenda.

Ita nouatores isti colligunt:

Diabolica potestas merito & morte Christi est abolita. Igitur non est alibi liberatio ab eadem, nisi in morte & merito Christi requirenda.

Atqui differunt inter se meritum Christi & distributio meriti: differt opus ipsum liberationis, & operis usus siue applicatio, Sanè quidem morte Christi destructus est is, qui mortis imperium habebat, Diabolus scilicet Hebræ. 2. 14. Huius autem meriti distributio non fit, nisi per ministerium Verbi & Sacramentorum. Dicitur igitur in Baptismo fieri liberatio à potestate Diabolica; non nouo merito: sed distributione & applicatione beneficii, semel in cruce impetrati. Isti verò dum applicationem, ab opere expiationis, id est, usum operis, ab opere ipso non discernunt, perinde faciunt, ac si quis ex aquæ ductuum oppidanorum fistulis aquam fontanā excepturum, extra oppidum ad eum locum remittat, ubi fons ipse primum scaturiat. Quod est cælum terræ miscere.

48.

Quartum argumentum tale est:

Idololatrica omnia contumeliosa sunt in Deum.

Exorcismus est plenus idololatria. Igitur.

Minor *μεγισμῶ* probatur. Pleræq, omnes enim idololatriæ proprietates seu partes definitionis Exorcismo competere dicuntur, quales sunt:

- 1. Quod ritus iste humanus præter & contra Verbum, pro cultu Dei habeatur & propugnetur,
- 2. Quod præceptis Dei æquiparetur.
- 3. Quod creaturæ honos creatoris in eo tribuatur.

C

49



4. Quod virtus & gratia Dei ad istum locum & ritum alligetur. Hæc enim omnia nisi fierent, Exorcismus non ita mordicus retineretur: sed in abrogationem eius facile consentiretur.

49.

Macte audacia atq; impudentia este viri Nouatores.

1. O verò cæcum Lutherum, & reliquos doctores omnes bardos atq; stupidos, qui tam fædas idololatriæ sordes, si olfacere non potuerunt, saltem non viderunt, quas homunculi isti vident.

2. Et sic isti belli homines beare solent eos principes & magistratus, qui iam annis penè 70. in restauranda religione fuerunt vt oculatissimi, ita maxime seduli, nimirum tantas idololatriæ feces turpissimè ab ipsis in Ecclesia toleratas esse dicunt. Mirum sanè, nisi hæc encomia istarum Ecclesiarum, magna tandem istis præmia afferrent.

1. Cor. 11
19.

3. Si Lutherus reuiuisceret, fortè sic cum Apostolo suos posteros compellaret: Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit: si quis deuorat: si quis accipit: si quis extollitur: Si quis in faciem vos cædit. Sed hæc *παρέγω*. Ad rem.

4. Hic suo primùm gladio ipsos iugulo. Si quaeratur (inquiunt ipsi) ex ijs, qui pro Exorcismo pugnant, an ad substantiam Baptismi pertineat Exorcismus, Negant. Iam cur id negamus verò? Quia in rerum indifferentium numero eum à nobis haberi, clam istis esse nequit. Qua fronte ergo pro cultu Dei à nobis haberi illum?

qua

152
qua conscientia ; præceptis Dei æquiparari dicitur? Frontem planè perfricuerint oportet, si huius ἀληθείας & calumniæ ipsos non pudet.

5. Iam cur ἀδιάφορον non esse ritum istum tantopere illi pugnant? An sine aduersario dimicant? an cum Pontificijs illis res est? Minimè. Ecclesias ipsas, in quibus docent, impugnant, cum his bellum gerunt, quæ sunt nobis omnes in hac sententia ὁμόψηφοι. Ipsa ergo materia in qua propugnanda versantur isti, calumniæ & conuitij ipsos redarguit.

6. Eiusdem valoris sunt & duo reliqua. Quæ nisi certis rationibus, quod ita se habeant, si possunt; probauerint; aut cum non posse certum sit, Ecclesijs iniuriam tantam deprecati fuerint: tantum ipsos conscientiæ habere, quantum scientiæ habent, constabit omnibus.

Nam quod probationis vice hîc attexunt, si secus esset, non adeò mordicus propugnaretur Exorcismus: non probatio: sed φλυαρολόγημα est.

Imò; quia secus est, & quia pro re indifferente Exorcismum Ecclesiæ Euangelicæ habent; ideò pro eo retinendo contra Nouatores tam seriò pugnant. Nam quia conscientijs laqueos illi in re libera tendunt, & subintroierunt exploratum libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigant; ne ad horam quidem subiectione istis ceditur, vt veritas Euangelij apud nos permaneat.

Bella verò Nouatorū istorū argumentatio: Non volunt nobis

nobis cedere in hoc ritu. Igitur eum pro cultu habent,
præceptis Dei æquiparant &c. Et quo merito istis ceda-
tur in re quamuis Adiaphora? Num quia nouitij sunt?
quia Ecclesias & scholas vastant? quia conscientias tur-
bant? Cui verò non turbatori fas sic subinde foret tur-
bare omnia, & in singulos annos nouas Ecclesiarum for-
mas constituere, si ad cuiusuis libidinem Ecclesia se
quæuis statim inflectere atq; attemperare necesse ha-
beat?

50.

Quinto argumento sic arguunt Nouatores: Exor-
cismus fædus & superstitiosus abusus est nominis diuini.
Igitur contumeliosus in Deum est.

In huius argumenti examinatione quia Circes sta-
bulum nobis purgandum erit, gradatim procedendum
est.

51.

Abusum diuini nominis committi Exorcismo,
Grammatico elencho probare conantur. Adiurare seu
ἐξορκίζειν, inquit isti, vel mediante iuramento veri-
tatem ex aliquo percontari Math. 26. 63. vel commi-
nari, præcipere atq; edicere significat. At neutrum fas
est erga Diabolum capessere: illud, quia mendax est,
ex quo veritatem percontari impium est: hoc, quia nec
præcepto, neq; promissione verbi diuini nititur: Et vel
nihili præceptum istud facturum esset Diabolum: vel Ex-
orcistæ pactum cum Diabolo intercedere necessum foret.

52.

Plusquam magistralis hæc est acies mentis atq; per-
spicacia.

I. Significatio vocabuli prima, tota est fictitia.
Quod enim adiunctum esse potest, id pro complexo isti
sumunt.

sumunt. Adiuratio fit, vel ad dicendam veritatem, vel ad faciendum aliquid. Sed neutrum horum ad sensum ipsum adiurationis pertinet. Exempli gratia, Apostolus 1. Theff. 5. 27. Thessalonicensibus dicit, Adiuro vos per Deum, vt epistolam hanc legatis omnibus sanctis fratribus: aliud est adiuratio, aliud cuius gratia ea fit, nempe, vt legatur epistola. Sic Math. 26. 53. Adiuro te per Deum viuentem, inquit summus pontifex, Christo. Num hoc significat, Mediente iuramento abs te veritatem percontor? Minimè. Sequitur enim, Vt dicas nobis, num sis Christus filius Dei. Quod igitur in diuiso sensu est, isti inscienter incomplexum sensum redigunt. Cadit ergo ista barda argutatio, de veritatis percontatione ex Diabolo, quam in Baptismo nullam fieri, clam ipsis esse minimè potest, si suffenis suggillationibus Ecclesiæ illudere desinant.

2. Corrigitur error, si Adiurare idem significare dicatur, quod iusiurandum exigere, vel ad iusiurandum adigere. Hæc propria & forensis vocabuli est significatio. Ad Ecclesiam translatum, alium sensum induit, & pro edicto graui, aut serio mandato Adiurandi vox accipitur. Hoc sensu, Pontifex summus Christo dixisse putandus est, Adiuro te per Deum viuentem, id est, Sub autoritate diuina præcipio atq; edico tibi. Iuramentum enim sacerdoti à Christo præstitum fuisse quis per febrim etiam somniabit? Sic cum Thessalonicenses suos per Dominum adiurat Apostolus, diuina autoritate mandatum ipsis vult, vt epistolam velint esse publicam.

3. Priori illa forensi significatione prorsus non ab actione tantum Baptistica de qua hîc agitur, sed vniuersa etiam Ecclesiastica exclusa ac remota, quippe quæ

neq; in corporali eiectione Dæmoniorum locum habere potuit: secundæ significationi locus in præsentî negotio relinquitur.

53.

At enim vt Diabolo præcipiatur, præcepto & promisso Verbi diuini caret, inquit isti.

1. Primum non explicant Generaléne an speciale præceptum & promissum Verbi diuini intelligant. Sunt enim quædam res, quarum quamuis species præceptorum ac promissorum non sint in Verbo Dei expressæ: genera tamen istarum à Scriptura non sunt planè aliena.

2. Esto verò vtrumq; modum simul hîc obtineant.

Num igitur factu istud nefas erit? Abeant igitur Nouatores, & aut aboleant ceremonias Ecclesiæ vniuersas (Carent enim verbo expresso, carent promissione) aut argumentum istud facessere iubeant, in oppugnandis ritibus ab Ecclesia approbatis. Nam non illicita prorsus: sed duntaxat non necessaria esse demonstrantur, quæ Scripturarum expressis mandatis carere ostenduntur.

3. Verùm audacius, quàm verius loquuntur, si Verbi diuini præcepto omni & promisso carere dicunt, vt in Diabolum imperium pij & fideles, Ministri maxime Ecclesiarum, habeant. Quod vt verum esse constet, sic habent:

1. Resistere Diabolo pij iubentur Iac. 4. 7. Igitur cum autoritate aduersus ipsum agere conuenit & licet.

2. Non concedere locum Diabolo, pij iubentur. Ephes. 4. 27. Igitur arcere Satanam ijdem iubentur.

Iubemur

3. Iubemur stare aduersus insultus Diaboli.
Ephes. 6. 11. Ergo aduersus istum cum imperio agere
iubemur.

Promissio dubia saltem eo nomine pijs esse ne-
quit, quia quidquid petimus in nomine Christi, id
nobis datum iri, Christus ipse pollicetur Ioan. 14.

13.

Et quia flagitare nos iussit à Deo patre Christus, vt
à malo liberemur: hoc ipso præscripto, euentus optati
nobis facta est promissio.

De Ministerij Ecclesiastici potestate sic habetur
Math. 18. 18. Quicquid ligaueritis, inquit Christus,
super terram, ligatum erit in cælis. Ligant autem in
terris, cum facessere à baptisando infante Diabolum iu-
bent. Ergo id ratum coram Christo habetur. Rursus
Ministerio Ecclesiastico facta est à Christo hæc pro-
missio Luc. 10. 19. Ecce, ego do vobis potestatem
calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem
potestatem inimici. Quod verò Christus Marc. 16. 17.
dixit de credentibus omnibus, Signa istos hæc sequen-
tur: In nomine meo Dæmonia eijcient, nouis linguis lo-
quentur, serpentes tollent, & si quid lethale biberint,
non lædentur &c. an quisquam sic iniquus ferit, qui ex
omnigenere credentium, solis Ecclesiarum ministris non
concedat? imò propter operas officij sui non istis, præ
alijs omnibus credentibus tribuenda esse existimet, non
externis quidem miraculis præstanda, sed internis ta-
men beneficijs, ac spiritualibus effectis omnia perfici-
enda? Concludo ergo ex his dictis manifestis, ius fasq;
esse Ecclesiarum ministris etiam cum imperio, Diaboli-
cam potestatem reprimere, Quid ad hæc garrient No-
uatores?

Ne

Ne pluribus Scripturis hęc agam cum Nouatoribus
aueo scire, si ad tentatum aliquem, aut obsessum etiam
accerantur Nouatores (quam raram esse ipsis praxin
apparet) qua ratione se in istis paroxysmis isti homines
gerant. Nimirum mussitabunt iam aliquid: modò pre-
cularum aliquid demurmurabunt: mox lectitabunt ali-
qua: tandem compressis manibus ingemiscent. Sic præ-
clare iuuabuntur tentati & obsessi, scilicet.

Si quis ergo tum Minister potestate officij sui vsus
edicat Diabolo, Apage Satan: Animam tentati facesse,
corpus obsessi desere, quod tibi in nomine eius edico,
qui caput tibi contriuit: cuius hęc templum est, quod
tu inuadere cupis: isti Nouatores, attoniti astantes, cru-
cis signaculo sese munient, dicentes, Oh, iste Deum
blasphemat; Diabolo præcipiens in nomine Christi,
nomen Dei prophanat. Hęc tanta erit sanctimonia,
vt nemo non dicere cogatur, En Nouatores isti, re vera
Diabolum verentur, neq; ita temerè aduersus ipsum
insurgunt, vt solent facere rigidi Flacciani. Hem humi-
litate.

54.

Dicent isti, Esto, hęc fieri alibi possit: In Baptismi
tamen Sacramento id non perinde licebit. Hic standum
est sola institutione Christi, & Sacramento nihil adden-
dum, nihil detrahendum est.

55.

Respondeo. 1. In Verbo Dei, definiti hac parte
nihil esse. Exceptiones igitur statuere, Verbo Dei non
expressas, audaculum est.

2. Quod si vbiq; fas est, Diabolum cum vniuersa
potestate regni sui persequi: cur idem facere in Baptif-
mo non liceat?

Imò

3. Imò si vllibi confidenter est resistendum Diabolo, maximè id faciendum est in Baptismo infantium: Quia nunquam certius sub potestate Diaboli esse homines cognoscuntur, quàm dum nullis adhuc Spiritus sancti primitijs acceptis, toti sub potestate tenebrarum constituti, quoad ius & societatem regni cælestis, sine Deo, & nil nisi filij iræ sunt.

4. Institutioni Sacramentorum nihil humanitus est addendum: Sed illud adde, Quod sensum, doctrinam, mentem, substantiam mutet. Addenda est autem sanè explicatio quæ nobis sensum institutionis perspectum reddat: quæ mysteria Sacramentorum eruat & patefaciat: cuius duplex vbiq; modus est; Alius qui verbis fit solum: alius porrò, qui fit ritibus etiam. Quò pertinet Exorcismi ritus in Baptismo, quem retinet Ecclesia, vt & originalis mali atrocitatem: & diuini beneficij immensitatem oculis quasi visendam subijciat.

5. At ipsi se confundunt Nouatores. Cur enim Abrenuntiationem retinent? cur symboli confessionem non itidem abolent? cur alia complura tolerant? quæ in institutione Baptismi minimè expressa leguntur?

56.

Quod verò aut nihili facere Satanam imperium istud Ministri dictitant: aut Ministro pactum cum Diabolo intercedere conuitiantur: faniozem illis mentem optauerimus. Quid enim sibi vult? quod tam sedulum Diabolo præstant patrociniùm, vt magis fidis aduocatis vti vix queat?

Iam alijs omnibus suspicandi occasionem præbent, remansisse in istis Satanam, & remanere etiamnum, postquam ne in Baptismo quidem, Ministerij opera profligatum illum à se esse, haud obscure ipsi innuunt.

Mirum verò vix sit, per iugulum etiam verba istis
D redeant



redeant quibus Diabolicæ conſpirationis reos peragunt
Ministros, quorum ministerio nos à potestatis Diabo-
licæ regno, infantes baptifatos eluctari piè credimus.

57.

Pergunt Nouatores in quinti argumenti disputa-
tione, dicentes: Vbi Diabolus non est, frustra edicitur,
vt emigret. At infantes à Diabolo non sunt obsessi,
Ergo. &c.

58.

Crediderim, postquam blasphemum illud conuiti-
um euomistis, quod est theſi præcedente proxima po-
ſitum, id vos passos esse, quod in cæna vltima, porrecta
buccella, Apostolus ille Christi ante crucifixionem
duodecimus. Nam vt nihil ille porro rectè fecit: sic
errando falsaq; scribendo ipsi magis magisq; vos su-
peratis.

1. Πλεονεξία terminorum luditis, In maiori habe-
tur, Inesse Diabolum: In minori, Obsessum esse à Dia-
bolo. Exemplo διπλότης ista terminorum fit manifesta.
Ioan. 13. 27. Introisse in Iudam dicitur Satanas, post
buccellam sumptam. Fuit igitur in ipso utiq; An vos
proin à Diabolo obsessum ipsum fuisse dixeritis? Nullo
modo.

2. Sed inducit vos in errorem istum falsa illa πρόλη-
ψις, quod ubicunq; Diabolum esse auditis, statim ob-
sessionem (quæ est corporale quoddam supplicium)
vobis imaginamini. Vestra ergo phantasmata impugna-
tis, dum quæ nos de Diaboli potestate spiritali intelli-
gimus, vos ad sessionem corporalem refertis.

3. Quid igitur? In filijs iræ, quales sunt infantes,
ante regenerationem vos etiam Diabolum esse negatis?
Obsessionem semper hîc excipimus: quæ corporalis
est.

est: Nos de spiritali malo agimus. Sic aut peccatum
Originale, nihil sit damnabile oportet: aut nos damna-
bilis peccati reatu sub potestate Diabolica esse negan-
dum fuerit. Iam prominere incipiunt Cumani leonis au-
ricula. Proinde arrigat aures Ecclesia. Mox se prodet
ingens nequitiae mysterium.

59.

Cum adiurari in Baptismi actione Diabolus dici-
tur, Ecclesia Evangelica non verba rigide accipienda,
sed mentem & sensum actionis attendendum esse ad-
monet. Protestatur ergo aperte, nihil sibi esse in ista acti-
one Exorcismi propositum, quod vel corporalem Dia-
boli obsessionem notet; vel magicæ incantationis, aut
Papisticæ adiurationis vim ullam habeat. Quid ergo?
Verborum istorum forma, qua utitur, Ecclesiæ inde ab
omnibus penè seculis usitata, hoc sibi vnum velle testa-
tur, ut horrendum atq; ingens peccati originalis malum
profundius considerandum proponatur, & eiusdem mali
reatu, nisi renascantur infantes, sub regno ac potestate
tenebrarum ac Diaboli, eosdem contineri significet.

60.

Hanc sanam & piam interpretationem Nouatores
planè repudiantes, protestationem esse nullitatis dicti-
tant. Quid ita? Primum quia Verba Exorcismi, Emi-
gra immunde spiritus, dialogisticum aliquid habeant,
& expressè spiritum nominent, qui cum sermo sit.

61.

- 1. Quid audio? An Ecclesiæ non licet interpreti esse suorum verborum?
- 2. An isti homines, ut sententiam profiteatur Ecclesia, quam profiteri recusat, vi etiam adigent?

D 2

3. Cur



3. Cur hoc ita pugnant quæso? Sua interesse vident. Nimirum stante pia Ecclesiæ sententia, vniuersam suam disputationem in fumos abire animaduertunt. Nam quicquid isti Nouatores pugnant, ad corporalem obsessionem, & Exorcismum magicum destruendum vnice comparatum est. Suas ergo nugas, sua phantasmata impugnant. Quod ne facere videantur, eam Ecclesiæ affingunt sententiam, à qua ipsa penitus abhorret, ne aërem ferire videantur.

62.

Iam ex falsa ista hypothese sic argutantur:

In exorcismo fit immundi Spiritus compellatio.

Quod si immundus Spiritus, peccatum originale est: consequens fuerit, Peccatum esse Spiritum & substantiale quiddam. Quæ est Flaccij Manichæa hæresis.

63.

Hem ferta; hem triumphî: En Flacciana cohors fulmine prostrata iacet. Sed stramineum hoc fulmen est, & planè, quod dici solet, fulgur ex pelui. Fuisse memini stolidum quendam hominem, qui expeditionem, quæ superioribus annis aduersus Turcam adornabatur, magno conatu diceret esse superuacaneam. Rogatus causam, victum iam & confossum, atq; inter necione deletum esse Turcam respondit. Carta autem depictam Solymani imaginem cultro ille disciderat, concerperat, protriuerat. Similis est Nouatorum hæc victoria.

Si, inquiunt, peccatum originale est immundus Spiritus. Si asinus habet pennas, utiq; volabit.

Actione exorcismi integra, Peccati originalis atrocitatem notari dicit Ecclesia. Qua hinc fronte colliget aliquis, Immundum Spiritum esse peccatum originale?

Sed

64.

Sed ad ipsam Ecclesiae interpretationem excutien-
dam sese Nouatores conferunt: Vbi tandem sese myste-
rium iniquitatis prodit,

*Infantes fidelium nondum Baptisatos, in regno, & sub
potestate Diaboli esse, Categoricè negant.*

65.

Tandem erumpit Calvinismus, quem istis homi-
nibus post aures latere, iam pridem subolfactum, &
prædictum fuit.

Vos verò optimi Germaniae Principes, quibus
homines isti deierationibus suis haftenus ita præstrin-
xerunt oculos, vt Calvinismi fæturam ipsos alere, cer-
nere non potueritis, sic in posterum cæcutietis, vt Cal-
uinismum manifestum in istis non palpetis?

Iam ergo sic instituenda nobis erit disputatio, vt
non cum fratribus, sed cum manifestis Calvinistis rem
nobis esse appareat. Quod si ægrè fertis, viri Noua-
tores, vos Calvinistas professos appellari, Erfordiam
excurrite, & pistillo campanam illam maiorem pulsate.
Sic concursus fiet, & vos sentietis magnas hominum ad
propulsandam iniuriam istam suppetias.

66.

Caluinisticum esse, hoc dogma, non Luthera-
num, & sic neq; Christianum etiam, id ordine proban-
dum est.

67.

Caluinianum esse, ipsius auctoris confessione pro-
bo. Sic enim scribit Calvinus, in lib. de vera Ecclesiae
reformandae ratione, tractatum Theologicorum fol.
454. Sancta nascitur ex fidelibus progenies, quod ad-
huc vterò inclusi, antequam vitalem Spiritum hauriant,
cooptati tamen sunt in foedus vitae aeternae.

D 3

Idem



Idem defensione secunda de Sacramentis contra
VVestphalum , tractat: fol. 1082. Infantes per Bapti-
smum non regenerantur aut saluantur: ob signatur illic
tantum salus, cuius prius fuerant participes.

Idem institut. l. 4. c. 15. Sect. 22. Non ideo bap-
tantur fidelium liberi, ut filij Dei tunc primum fiant, qui
ante alieni fuerint ab ecclesia: sed solenni potius signo
ideo recipiuntur in ecclesiam, quia promissionis benefi-
cio iam ante ad corpus Christi pertinebant.

Eodem lib c. 16. Sect. 24. Infans ex eo (in fæderis
societatem recepto) progenitus, hæreditario iure, se-
cundum promissionis formulam, iam à matris utero in
fædere continetur.

Habetis Calvinistæ Nouatores, dogma vestrum ef-
se Calvinisticum. 68.

Lutheranum non esse, sic percipite:

In Catechismo minore secundi articuli Apostolici
explicatio Lutherana sic habet: Credo Christum Iesum
esse Dominum meum, qui me perditum & damnatum
hominem liberarit, redemerit, lucrificerit ab omni-
bus peccatis, à morte, & à potestate Diabolica.

Obtendunt isti, In cruce factam esse istam liberationem,
non in Baptismo fieri. At vero non quæritur, quando illa
facta sit? sed cum facta sit semel, quid præsupponat? Quid
nam igitur? Nimirum hoc, Peccato, morti, Diabolica
potestati nos omnes subiacuissse. Priuatio enim præsup-
ponit habitum. Quo id vero tempore? Certè non alio,
quàm quo nondum Christo inserti eramus: quo in
peccatis concepti, natiq; , filij iræ diuinæ atq; à regno
Christi alieni adhuc eramus, nimirum ante Baptismum.
Tantum ergo Nouatoribus istis cum Luthero, quantum
sui cum amaricino.

Alterum

Alterum illud est, quod quaritur, Quo tempore quoq; organo nobis peccati, mortis ac Diabolicæ potestatis reatui subiectis, obtingat ista Christi liberatio. Nouatores cum Patriarcha suo Caluino, tempus conceptionis annotant, & ex sanguinibus, ex voluntate carnis & voluntate viri, id est, carnali generatione pendere beneficium istud dicunt.

2. Lutherus in Catechesi minori iterum dissentit, Baptismi organo beneficium istud tribuens; Baptismus operatur remissionem peccatorum, liberat à morte & Diabolo. Ergo in regno & sub potestate Diaboli infantes nondum baptisatos esse, ineuitabili necessitate sequitur.

3. In Catechesi maiori, Lutherus articulum secundum iterum sic exponit: Credo Iesum Christum mihi factum esse Dominum. Dominio isto nihil aliud significatur, quam à peccati, mortis, & Diaboli mancipatu liberatio. Quæ priusquam fieret, sub Diaboli potestate captiuus, morti adiudicatus, peccati vinculis totus constrictus fuit.

4. In eadem Catechesi, de Baptismo differens, In huius acceptione, nos primum in album Christianorum recipi: circa finem, Mediante Baptismo ex faucibus Diaboli eripi asseuerat.

Paulò post, in explicatione eius, quod Baptismus salutem operari dicitur, sic scribit Theander, Saluari, non aliud esse constat, quam à peccato, morte, Diabolo liberatum, Christi regno inferi. At hæc in Baptismo fiunt. Doctrinæ ergo Lutheri nuntium remiserunt, qui infantes ante Baptismum, regno ac potestati Diabolicæ subiectos, atq; à Christi regno alienos esse inficiantur.

Colophonis

5. Colophonis loco ex Luthero illud etiam au-
diant isti, quod est ab ipso super Psalm. 110. versum
tertium scriptum, Homo ex Baptismo mundatur, &
inter manus ministri fit sanctus, & ex filio inferni, fi-
lius Dei.

69.

Augustana Confessio artic. 2. quotquot per Bap-
tismum & Spiritum sanctum regenerati non sunt, ater-
num iræ diuinæ reos propter peccatum originis esse
pronuntiat.

Apologia eodem articulo, propter peccatum ori-
ginis, vniuersum genus humanum condemnari, & non
corporali tantum morti & externis calamitatibus: sed
regno etiam Diaboli subijci affirmat: Et mox Tyranni-
dem & Dominium Diaboli, pænam esse peccati origi-
nalis: Item, Per peccatum originis genus humanum,
sub potestatem Diaboli traditum, & regno Satanæ
mancipatum esse asserit.

Smalcaldici articuli, ob peccatum originis, totum
genus humanum, peccato, morti & Diabolo mancipa-
tum esse asseuerant.

Quæ cum ita sint; quid sibi vult caluus comatus?
cumq; doctrinæ Lutheri bellum sit indictum, cur no-
men Lutheri canina impudentia, vulpina fraudulentia
etiamnum obtenditur?

70.

Fortè hîc excipient, quamuis alioquin Diabolicè
Lutherani sint, religione tamen & conscientia se duci,
vt à Luthero hac in parte dissentiant. Ita enim solet fieri,
cum manus *ἐπ' αὐτῶν φάρα* deprehensa est. Quapropter
quomodo cum Scriptura huic errori conueniat, dispi-
ciamus.

Dauid

1. David ex pijs ortum ducens parentibus, in iniquitatibus se formatum & in peccatis à matre sua conceptum esse fatetur, sub persona sua communis omnium hominum conditionis imaginem proponens. At reatus peccati, cui mors & potestas regni Diabolici debetur, stare cum sanctitate nequit. Falsum est ergo, sanctimoniam ex propagine parentum deriuari. Psal. 51.7.

2. Christus Ioan. 3. solenni disputatione natiuitatem carnalem, vt immundam, damnat: & nisi per aquam & Spiritum fiat regeneratio, aditu regni cælestis excludi omnes pronuntiat. Non potest autem nisi in regno Diaboli esse, qui cælesti illo exclusus est. Impium est igitur, ciuitati cælesti aggregare, qui damnationis iuri adhuc toti subiacent.

3. Apostolus ait, Omnes homines Naturâ filios iræ, hoc est, iudicio Dei irati reos æternæ mortis esse, quemadmodum ipse Beza verba ista interpretatur. Iudicio Dei irati, reum esse æternæ mortis, & in gratia Dei esse, sunt ἀπέσως planè contraria. Simul ergo subiecto eidem nulla ratione competunt. Eph. 2.3.

4. Teste Ioanne, Non ex sanguinibus: sed ex Deo nascuntur filij Dei, hoc est, vt Terrullianus loquitur, Fiunt, non nascuntur Christiani. Prophanum est igitur, Conditionem istam ad sanguines, id est, natiuitatem humanam referre, vt nasci, non fieri Christianos dicendum sit. Ioan. 1.13
Apo. c. 17

5. Christo autore, Paruuli etiam sunt, quos perditos seruatum Christus venit. Quod si sanctificationem ex parentibus hauriunt liberi, hoc est, congenitam & naturalem sibi habent: neq; unquam in censu perditorum fuisse, neq; Seruatore Christo ipsos eguisse Math. 18.
11.

E confe-



consequens erit. Quod est veritatem ipsam, mendacij disertè arguere.

6. Non fit liberatio cuiusquam, aut translatio in regnum Christi, nisi qui prius sub potestate tenebrarum id est, regno Diaboli fuit. Quotquot in regno Christi continentur, eò sunt per Christum translati. Sub mancipatu ergo regni Diabolici aliquando fuerint necesse est. Præmissa vtraq; Apostolica est. Coloss. 1.13.

Hinc inferitur, Ex vtero materno non esse sanctos etiam fidelium liberos: quia sic nullum dari tempus posset, quo sub regno Diaboli fuissent, ex quo in regnum Christi translati essent.

Gal. 3.27.
Tit. 3.5.
Rom. 6.
3.4.

7. Scriptura Christo indui, eiusdem liberationis beneficijs participare, eidemq; ac mortis ipsius merito nos primùm inseri testatur in Baptismo, lauacro regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Termino hoc ergo priorè alium: & ab organo isto diuersum aliud introducere: *ἑτεροδιδασκαλία* est non tantùm manifestè Calviniana: sed Anabaptistica etiam, & reuera Pelagiana.

72.

Sed ostentant Pyrgopolinicæ isti validissima propugnaculi istius sui Calviniani munimenta. Nisi enim ex vtero materno sancti statuuntur esse fidelium liberi: hæc *ἀτοπα* sequentur.

1. Fœdus Dei Genes. 17. fuerit irritum.
2. Christus mendacij arguetur, qui Mar. 10. paruulis etiam ante exorcismum & Baptismum regnum cælorum adiudicat.
3. Vanus fuerit Apostolus, Qui liberos, quorum alter saltem parens fidelis est, Sanctos pronuntiat. 1. Cor. 7.

Exor-

4. Exorcismus ipse, qui infantem etiam ante Baptismum Seruum Domini appellat, consistere nequit. Si enim seruus Dei est infans: quomodo idem a Diabolo obsessus, & sub eiusdem potestate fuerit?

5. Solatio carebunt parentes, quibus liberi vel ante baptismum acceptum, vel in vtero etiam materno extinguuntur.

73.

Primo *ἡ δόξα φήματι* excutiendo mox suus peculiaris locus erit.

Quod ad Marci locum attinet: variè laborat Nouatorum collectio.

Marc. 10.
14.

1. Crimen falsi committitur. Christus dixit *τῶν τοιούτων* Talium est regnum caelorum. Nouatores inquirunt *τοῦτων* Horum test, regnum caelorum Qua de re si solus Marcus non potuit, Matthæus certè & Lucas, vterq, simili vsus locutione, admonere istos debuit. Dicent isti, Nihil interesse inter istas locutiones. Responsio, Diuersum istos glossa saltem ordinaria docere debuit, cuius hæc sunt verba: Taliū significanter dicit, Non, illorum, quasi dicat, Mores regnant, non ætas. His ergo promittitur regnū caelorum, qui ex studio habent simplicitatem & innocentiam, quam pueri habent per naturam. Parabolicè enim teste Lyra super Lucam, Christus loquebatur, per pueritiam intelligens humilitatem & innocentiam. Quò facit illa statim subsequens Christi concio, Amen dico vobis, quisquis non accipit regnum Dei, vt puerulus, non ingredietur istuc.

Math. 19.
Luc. 18.
16.

Chrysostomus, citante Lyrano, tali paraphrasi responsum Christi ad discipulos explicat, Si sancti sunt futuri, quid vetatis filios venire ad patrem: Sin peccatores sunt, vt quid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis?

E 2

2. Iam



2. Tam & ὁμωνυμία & ἀμφιβολία est in verbis. Regnum cælorum enim plerumq; beatitudinem cælestem; non rarò tamen doctrinam Euangelij significat, & beneficia Verbi & Sacramentorum, id quod in hunc ipsum locum D. Hieronymus annotat. Esse autem alicuius regnum cælorum dici potest, qui vel societate & usu eius iam participat; vel licet nondum eo participet, iure tamen eius aliquando adeundæ non exclusus est. Vsurpatione, regnum cælorum neutro vocabulorum significatu, infantum est non baptifatorum. Nam neq; membra sunt ecclesiæ; neq; cælestis regni participes. Potestate autem regnum cælorum utroq; sensu infantum est non baptifatorum, quippe quibus perinde ut omnibus alijs hominibus, ad regnum gratiæ & gloriæ non est interclusus aditus.

3. Error est, petitio principij. Vnde enim isti dixerunt, vel somniarunt potius, pueros istos ad Christum asportatos, non fuisse baptifatos? Sic ergo hic vrgentur isti.

Aut fidelium parentum fuerunt isti pueri: aut infidelium. Si illud: non baptifati, aut non circumcisi saltem, isti esse pueri non potuerunt. Sic cadit collectionis neruus, quo isti ex hoc loco, non baptifatorum infantum esse regnum cælorum statuunt. Si hoc: altero pede claudicabit ἑτεροδιδασκαλία ista Nouatorum, quo illi fidelium duntaxat parentum liberos ante baptifatum regni cælestis albo ascribunt.

4. Obruitur istorum sententia ἀδωάτω: Si regnum cælorum fuit istorum puerorum nondum baptifatorum; sequitur, sanctos illos fuisse, priusquam ad Christum venissent. At extra Christum salutem esse, absurdum est & impossibile.

Retor-

5. Retorquetur locus in deprauatores: Christus pueros istos ad se admitti demum vult, Ergo vt ante id tempus in societate Christi fuerint, fieri non potuit. Summa igitur loci istius est hæc, vt non quia iam sancti, & regni cælorum participes sint, ad Christum admittendi esse iubeantur: sed vt tales fiant, aditu Christi non arcendos esse præcipiatur. Offeruntur autem Christo in Baptismo. Hinc ergo salutis & sanctificationis ipsorum initium petendum est.

74.

Tertiæ probationis mysterium iterum à suo Patriarcha Caluino Nouatores mutuati sunt, Hic enim in Institutione sua minimè Christiana lib. 4. cap. 16. sect. 15. vt euincat, eandem à parentibus Sanctificationem Christianorum liberos ducere: eundem Apostoli locum in subsidium vocat.

Atqui primùm error est *παρὰ τὸ ὄψημα Ἰησοῦ λέξεως*, Sanctitas enim alia est, seu sanctificatio, quæ per remissionem peccatorum & donationem Spiritus sancti creditibus obtingit: quo sensu 1. Corinth. 1. 30. vox hæc sensu Euangelico seu spirituali accipitur. Aliàs politicus & legalis vocabuli huius vsus est. Nam vt Scriptura Commune appellat quandoq;, quòd interdictum est: ita sanctum & mundum vocat, quod diuinis legibus concessum, licitum ac legitimum est. Non ergo imundi, sed sancti dicuntur eorum coniugum liberi, quorum alter duntaxat fidelis est, quia in legitimo & licito coniugio nati sunt. Nam si non liceret salua conscientia & fide viro fideli infidelem retinere coniugem, & vicissim: tum filij eorum hætenus generati forent imundi, id est, illegitimi & spurij.

2. Retorquetur falsa interpretatio. Si enim sancti-

E 3

ficatio

ficatio spiritualis isto loco intelligenda est: sequitur ad infidelem etiam coniugem à fidei gratiæ cælestis communicationem propagari, quia ibidem istum ab hoc sanctificari Apostolus asserit. Quod si hoc isti etiam nisi absurdum dicere nequeunt: iam diffiteri non possunt, quia talis ibi intelligenda sit sanctitas, quæ in infidelem etiam possit cadere.

3. Iam in vocabulo, Fidelis, fœda *δυναμικία* luditur. Apostolus ijs hoc scribit & præscribit, qui fidem Christianam professi fuerant. Siue ergo pietas vera confessioni ipsi responderet, siue non: diuortium fidei coniugi ab infidele, hoc est, Christiano à gentili non permittebat, & in tali coniugio, liberos immundos esse negabat. Iam Nouatores sic compello: Fidelitatis nomine, aut solam Christianæ fidei professionem intelligitis: aut pietatem ipsam. Si illam: iam à nuda fidei Christianæ professione, sanctitatis & gratiæ cælestis propagatio pendeat: & homines impij, dummodo Christianismum profiteantur, sanctitatem, quam ipsi non habent, liberis suis conferent. Quod absurdum est. Sin hanc: quis in Ecclesia iudex esse potest, qui pios parentes ab impijs discernat, & utrum alter duntaxat, an uterq; sanctus, vel quod plurimum fieri potest, uterq; potius impius sit, dijudicet? Posito ergo, quod sanctitatem infantes à pijs parentibus hauriant: si hoc nomine abrogandus est Exorcismus; non alibi locum hoc haberet, nisi ubi vel alterutrum, vel utrumuis parentem infantis baptisandi pium esse exploratum foret. In quas Syrtes Ecclesiam hic inducent Nouatores?

4. Est autem tantò maiore odio digna hæc Caluini & complicum Nouatorum sycophantica, quod eadem olim quoq; orthodoxis est obiecta à Pelagiana cohorte,

te, & ab Augustino præcipue grauitè explosa: Quæ de re extat tractatus luculentus lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 26. vt iurasse isti in Pelagianam hæresin impudenter videantur, qui ista quasi ab omni hominum memoria remotissima, aut opinione istorum fortasse non nisi apud Garanthas nota, reuehere in Ecclesiam non verentur.

75.

Quartum obiectum *σωδαλμὸν λεπιδάτων λόγων* habet, similem argutiæ illi, quam à Pontificio quodam olim mihi obijci memini, qui vno firmissimo argumento & planè Achilleo euiçturum se iactitabat, falsam esse quam Lutherani profiterentur, religionem. Probatio hæc erat, Quia in germanica cantione, Veni sancte Spiritus, Luthero magistro, à Deo flagitarem demum rectam & veram fidem. Quod, ea ipsa hæctenus nos caruisse, euidenti argumento esset.

Sedenim in ipsa Baptismi actione, eo ipso, quo Diabolica potestate exit infans momento, an seruum ipsum Dei nuncupare aliquid prohibeat?

76.

Nugatorium planè est, quod solatio carituros esse parentes aiunt, quibus vel in partu, vel ante partum extinguantur liberi, si ea istorum esse conditio dicatur. Contrarium enim ostendit Lutherus, scripto hac de re ex professo in publicum A. 1542. edito consolationis autem fundamenta petit 1. Ex bonæ Conscientiæ testimonio, de facto parentum officio 2. Ex vi atque efficacia precum, quas ad Deum pro salute infantis iam inde à primo conceptionis momento fuderint parentes. 3. Ex immensa ac liberrima Dei omnipotentis misericordia. 4. Ab exemplo facti diuini. Nam quem-



quemadmodū infantes V. Testamenti ante octauum circumcisionis diem defunctos peculiari gratia seruauit Deus, qui vsuram lucis ad diem diuinitus constitutam ipsis non concesserit: ita pari clementia in istis etiam casibus infantes peculiari gratia saluari, quibus communis gratiæ modus, diuinæ voluntatis arbitrio, non propria culpa aut contemptu negatus sit.

77.

Sexta probatione sic colligunt Nouatores:

Exorcismi vsu Deus ipse mendacij arguitur: Ratio est. Quia Abrahæ dixit Gen. 17. Ero Deus tuus, & seminis tui post te: Semen autem piorum regno Diaboli, Exorcismus subiectum esse arguit, Ergo, in Deum contumeliosus est.

78.

Multiplex inest in probatione falsitas, qua demonstrata, totum enthymematis ædificium corruet.

1 Error est *ψευδογραφία*. Non enim presentis temporis notam: sed futuri terminum habet ista promissio. At à non distributo ad distributum colligere vitiosum est.

2. *Παραλογισμός* est compositionis & diuisionis. Composita enim seu connexa est oratio Dei, vt ambulat coram Deo Abraham, & sit perfectus: sic Deum fædus positurum esse inter se, & Abrahamum, ac semen eius, in hoc nimirum, vt sit Deus ipsius, & feminis eius post ipsum. Conditione ergo à promissione seiuncta, ex hypothetica oratione categorica efficitur.

Vitiosè, id est, error *παραλόγῳ πῆ εἰ ἀπλῶς* committitur.

3. Ad absurdum ratio ista præpostera abducitur: Si enim nuda promissio absq; applicatione, constituit nos promissorum bonorum compotes: quid prohibet, quin
omnes

omnes homines sancti & iusti esse dicantur : quia in semine benedicto omnibus gentibus terræ benedicendum esse promisit Deus? Quod si hinc dixerint isti promissi boni neminem fieri participem, nisi in quo conditio promissionis sit impleta : cur hinc à conditione promissionem diuellent?

4. Revertitur falsæ rationi etiam ἀδύνατον. Si enim hoc sibi vult ista promissio, quod quotquot ex Abrahamo nascuntur, sanctitate eiusdem participata sint in societate regni cælestis : eos qui hodie secundum carnem semen Abrahamæ sunt Iudæi, sanctos itidem & in gratia Dei esse consequens foret. At falsum est hoc, Ergo.

5. Sed retundit istam absurditatem ipse Apostolus, cuius nudas Propositiones Nouatoribus oppono.

1. Non qui semen Abrahamæ sunt, omnes sunt filij. Rom. 9.7.

2. Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei : sed qui filij promissionis sunt, æstimantur in semine. Rom. 9.8.

3. Qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahamæ Gal. 3.7.

4. Si Christi estis, iam semen Abrahamæ estis Gal. 3.

27.

Hinc sic argumentor Seminis vocabulo spiritualiter accepto:

Effectus causæ suæ causa esse nequit.

Esse semen Abrahamæ, est effectus gratiæ Christi

Ergo causa eiusdem esse nequit.

Sed si carnaliter idem sumatur sic iterum arguo.

Si nemo sanctus est aut filius Dei, seu in gratia Dei, nisi qui filius est promissionis : consequens est, ut quisquis filius carnis est, non sit sanctus seu in gratia.

Omnes qui sunt semen Abrahamæ, non sunt promissionis

F

onis

onis, sed carnis filij. Ergo sancti, aut in gratia Dei esse non dicendi sunt.

6. Corrigitur error genuina dicti Mosaici explicatione. Sensus autem promissionis illius hic est, quod Deus fædere sancito, sic Abrahamum cum posteritate cooptat, ut si fæderis pacta seruaturi sint, omnibus seculis gratiæ suæ beneficia, omnibus ac singulis liberaliter promittat. Fæda ergo deprauatio loci est, quod Nouatores, fæderis pactis elisis, promissionem ad carnis traducem, turpi cæcitate referunt.

79.

Septima sic habet argutatio.

Exorcismus tollit promissiones Dei. Ergo in Deum contumeliosus est. Antecedentis probatio talis statuitur: Ephes. 5. 26 dicitur, quod Christus nos mundet lauacro aquæ in verbo. Et Tit. 3. 5. quod Christus nos saluos faciat per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Et in Catechismo, Baptismus operari remissionem peccatorum, & liberare à morte & Diabolo, ac salutem credentibus conferre dicitur. Ista ergo sine contumelia Dei, virtuti Exorcismi tribui non possunt.

80.

Rem ludicram, non seriam agere homines istos putauerim, nisi eam tanto conatu agerent, tanta est illorum in probando proposito ineptia.

1. Rursus cum sui capitis liripipio pugnant, dum Exorcismo nescio quas virtutes tribui nugantur, quas ne per febrim quidem quisquam somniauit. Agite viri Nouatores, à quo scriptore, quo libro, quo folio, quo loco, quo tempore, quibus verbis, Exorcismo hæc efficacia tributa est, ut mundet à peccatis liberet à morte &

& Diabolo, salutem conferat & Spiritum sanctum credentibus. Evoluite scrinia librorum vestrorum, tabulas proferte, date demonstrandi. Quid ringimini? quid caput scabitis, & viuos roditis vngues? Paululum aures quaeso admouete, est quod infusurrem vobis: Est genus quoddam hominum, nouitium, superciliosum, quod pol sapere sibi videtur. Id dum, secundis ventis nauigat, & seculari potissimum brachio se instructum putat, quasi ex tripode prolata verba sua passim acceptum iri existimat: & quidlibet pro arbitrio dicendi, liberam penes se potestatem esse: reliquos autem omnes contra ne hiscendi quidem necessitatem manere persuasum habet. Sed vt paucis finiam, decipit & decipitur.

2. Iam ex ipsismet percontor: Contra quos in hac materia pugnent? Numquid non contra eos, qui in rebus Adiaphoris ritum Exorcismi collocant? At quis fando audiuit, ritibus Adiaphoris eam vim tribui in reformatis Ecclesijs, vt a peccatis mudent, vt remissionem peccatorum operentur, vt salutem ipsam conferant?

3. Atqui iam plus satis testatum est, non istae efficiendi, sed signandi duntaxat vim, atq; admonendi, ceremoniae isti tribui, quam circa originalis peccati atrocitatem representandam ille habeat.

4. De reliquis illud in mentem venit, quod de summo sacerdote Ioan. 11. 51. legitur, Non a se ipso eum locutum fuisse quondam: sed quia isto anno summus pontifex fuerit, ideò prophetasse. Quo loco ne in re plana diu immoremur, verbis ipsorum Nouatorum verba eorundem opponimus, num aliquis ipsorum animis pudor queat incuti:

F Liberi



1. Liberi fidelium
sunt sancti ante Baptis-
mum.

2. Regnum celo-
rum est infantum ante
Baptismum.

3. Liberi fidelium
non baptisati, non
sunt sub regno & po-
testate Diaboli.

contra

1. Christus mundat nos
per lauacrum aquæ in
Verbo.

2. Salui reddimur per
lauacrum regeneratio-
nis & renouationis Spi-
ritus sancti.

3. Baptismus operatur
remissionem peccato-
rum, liberat à morte &
Diabolo; & salutem
confert credentibus.

Priores tres propositiones à Nouatoribus vsurpan-
tur argumento quinto: posteriores hoc loco ab iisdem
positæ leguntur, vt spiritu compunctionis percussi esse
omninò videantur.

85.

Octaua Nouatorum collectio sic habet:

Exorcismi vsu negatur & tollitur efficacia Spiritus
sancti in ijs, qui Exorcismum & Baptismum non acce-
perunt. Ergo, contumeliosus est in Deum.

Porro verò Antecedentis intricatioris sensum paulò
post sic explanatiorem reddunt, Spiritum sanctum esse
in infantibus efficacem ante Baptismum, adhuc in utero
materno positus. Hinc ex ratione contraria colligunt
Diabolici spiritus operationi in iisdem loci esse nihil
posse. Confirmando antecedenti adhibent I. San-
ctificationem Ieremiæ in utero materno Ierem. 1.
II. Exemplum Ioannis Baptistæ Spiritu sancto
repleti ex utero matris suæ. Luc. 1. 15. III. Dile-
ctionem Iacobi, cum nondum natus fuisset Rom. 9. 13.
IIII. Exemplum eorum, qui Spiritum sanctum ac-
cepisse

cepisse leguntur. Acto. 10, 45. etiam priusquam baptisati fuerant.

86.

Rursus Augiæ stabulum repurgandum hîc Nouatores offerunt.

1. Nondum os ipsis refrixerat ex eo, quod Baptismum vocauerant lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, idq; ex Paulo; hîc statim contumeliam in Deum vocant, si quis Spiritu sancto, non in vtero materno renouari atq; imbui infantes asserat. Sic ἐν τῷ φάσει se confundunt.

2. En tibi verò rursus alio indumento variegatam Pelagij hæresin in Nouatoribus, sic asserentibus, Infantes Spiritu Sancto induuntur in ipso vtero materno.

3. Error est partim παρὰ τὸ ἐπόμενον, partim παρὰ τὸ πρὶν ἔσπλῶς. Quæ est enim consequentia ista? In Baptismo docetur conferri Spiritus sanctus. Ergo extra eundem negatur eius efficacia. Si Fidem dicam ex auditu esse: num protinus extra auditum, fidei locum esse negauro? Nullo modo. Stare enim potest vtrumq;: illud quidem ordinariè: hoc extraordinariè. Idem in præsentî negotio locum habet. Ordinariè enim dum conferri in Baptismo Spiritus sanctus affirmatur, quin extraordinariè extra istum conferri possit, non negatur.

4. Fœdior verò alter Nouatorum error est, qua sic colligunt: Alicubi Spiritus sanctus ante Baptismum vel citra Baptismum collatus est, & conferri etiamnum potest. Ergo omnibus ante Baptismum confertur. 1. enim à particulari ad vniuersum. 2. à posse ad esse. 3. ab extraordinario ad id, quod ordinarium est, vitiosè fit collectio.

5. Quin sic vniuersa verbi atq; sacramentorum vis atq; efficacia euacuabitur. Contigit enim aliquibus

F 3 &



& continget semper sine Verbi & Sacramentorum ministerio. An proin hæc organa salutis esse negabitur? Exempla peculiarem tractationem merentur.

83.

In Ieremiæ exemplo παραλογισμὸς ὁμωνυμίας committitur, qui Nouatoribus cum Anabaptistis, & Pontificijs communis est. Sanctificatio enim non de spirituali mundicie: sed de segregatione ad vsum muneris Prophetici intelligitur. Quem sensum vernacula Lutheri conuersio præclare reddidit. Cuius tanta vis fuit, vt eam mutare Nouatores ausi non fuerint. Tanta autem in istis hominibus cæcitas est, vt manifesto vocabulo sensum affingere alienum non erubuerint.

84.

In secundo exemplo inest error παρὰ τὸ ἄλημα Ἰησοῦ λέξεως, isq; duplex. 1. Non dicitur Ioannes repletus Spiritu sancto in vtero matris: sed inde iam Ab vtero matris: hac phrasi autem prima ipsa infantia notatur. 2. Spiritus sanctus pro donis & miranda indole ponitur, causa nimirum pro effectis, vt excellentem illum fore donis Spiritus sancti, non in adulta tantum ætate, sed inde à prima pueritia significetur.

2. Fatendum est quidem, Spiritum sanctum operatum fuisse miraculose in Ioanne, etiam in vtero materno adhuc recumbente: sed neq; sanctificatio statim hinc inferri potest; & si id in isto indiuiduo locum maximè habere permitteretur: hinc ad communem generis humani sortem inualidè fieret collectio.

3. Ex communi ergo hominum conditione Ioan-
nem etiam non eximimus, quoad originalis peccati lumen. De qua verum est Augustini enuntiatum: Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui

De fide ad
Petrum
cap. 23.

qui per concupiscentiam viri & mulieris concipitur; cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortiq; subiectum, & ob hoc natura filium iræ nasci.

4. D. Ambrosius in Lucam commentans, Ex natis de muliere, solum Dominum Iesum esse inquit, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non senserit.

5. Augustinus eum qui contrarium sentiat, repugnare scripturæ: hæreticum esse, imò detestandum hæreticum esse pronuntiat.

De perfectione
Iustitiæ
cont. Iulian. l. 5. c. 9.

85.

In tertij loci Biblici allegatione captio compositionis & diuisionis inest, imò potius crimen falsi. Nam Rom. 9. duo allegantur loca.

1. Genes. 25. 23. Maior seruiet minori. Addit autem Apostolus, hoc dictum fuisse à Deo, priusquam Iacob & Esau nati fuissent. Vocabulo Seruiendi explicando, alterum dictum Scripturæ adiungitur Malach. 1. 3. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hoc Nouatores sic allegant, vt prioris dicti *περὸς ἀδελφούς*, qui notat, quando prius illud de fratribus istis à Deo prædictum sit, ad posterius dictum referant, hoc sensu, Quod Deus dilexerit Iacob, Esauum verò odio habuerit, priusquam vterq; natus sit.

Prominent hîc Cumani asini auriculæ nouæ, hoc est, monstri illius Sabaudici noui errores alij: vnus de absoluto prædestinationis decreto: alter de fato inductionis Calvinistico. Hunc fatum Calvinisticum quia iam parturiunt Nouatores, tum susceptoribus deum istius partus gratulabimur, vbi in lucem plenè fuerit proditus.

Ex



Ex Actor. 10. Per quam impertinenter exemplum adducitur. 1. De adultis istic loci agitur, non infantibus. 2. Super quos illapsus Spiritus sanctus legitur, ij Petrum concionantem audiuerant. Cecidisse ergo super istos Spiritus sanctus dicitur, quia quod Apostolus predicauerat, Spiritus sanctus intus in corde istorum obfigauerat, vt Verbo audito fidem habuerint. Absq; quo si fuisset, baptisari non potuissent. Nemini enim adulto, nisi fidem prius professo, Baptismus confertur. Sed hinc similis esse infantum ratio minimè colligitur. Imò quia infantes auditus Verbi non sunt capaces, vt fidem ante Baptismum concipere queant: inde ad Baptismum adhibentur, vt istic regenerati, renouationem Spiritus sancti, qua carebant antea, accipiant. Haëtenus prima probationum classis. Sequitur secunda.

Cum scandalo Ecclesiæ, & proximi incommodo coniunctum esse Exorcismum, hac ratione vna probant Nouatores, quia variorum errorum causa & vehiculum quasi quoddam sit. Errores autem commemorant istos. 1. quod infantes ante Baptismum defuncti, noctu clam, nec in publico aliorum Christianorum cæmiterio: sed peculiari alio loco sepeliantur.

2. Quod discrimen inter membra Ecclesiæ, & gentiles, qui sunt extra eandem, planè tollatur.

3. Quod infantes pro cloacis Diaboli habeantur.

4. Euangelij & legis doctrina non discernatur.

5. Status natiuitatis corruptæ & gratiæ non distinguatur.

6. Virtus precum Ecclesiasticarum eleuetur.

7. Error Flaccij de peccato originali stabilietur.

Idolo-

8. Idololatriæ horrendæ via quasi ac fenestra aperitur.
88.

In his omnibus adducendis, quia dictatores, non demonstratores agunt Nouatores, paucis etiam nos expedire omnia possumus.

1. Simplex & diserta negatio his omnibus opponitur.

2. In primo membro σοφισμα παρελτομη αιλον ωσ αιλιον committitur. Si quæ enim talia fiunt apud Euangelicos (cuius rei fides esto apud Nouatores: non secus tamen quam si exemplis rem monstraerint) ista non Exorcismi sed Baptismi non accepti causa fiunt. Quod ipsi etiam Nouatores haud obscure innuunt. Cur igitur eadem ratione Baptismum isti non abolent?

3. Secundo membro non nobis, sed Spiritui S. absurditas atq; error obijcitur. Idem de tertio est responsum.

In 4. & 5. membro nugari illos putamus, aut monstri certè alere aliquid, quod tempori etiam committimus.

In 6. ita veri inest nihil, vt contrario sensu omnis potius piarum precum vis aboleatur. Nam si ex traduce est sanctitas: quid precibus piorū opus est? Nunc quia precū efficacia, ex potestate Diaboli, eripi filios iræ natiuos sentimus: virtuti precum maximū momentum addimus.

Septimum errorem Lutherani omnes ex animo detestantur: neq; hac in parte vel apertis, vel clandestinis Calvinistis primas vnquam concessuri sunt, quippe quorum opera postquam à Deo discessum præcipuè factum est, vt errori isto messis in herba ipsa perierit.

Octauum membri vanitas ex supra dictis perspicitur.
89.

G Cum



Cum proprio priuatorum detrimento coniunctum
esse Exorcismum, sic probant Nouatores:

1. Quia parentes liberis in partu aut ante partum
extinctis orbatos omni consolatione spoliet, & in acer-
bissimum illos sensum anxietatis de salute istorum libe-
rorum conijciat.

2. Quia honori ac sanctitati Matrimonij profa-
nandæ quàm maximè seruiat, qui Diabolo obsessos
istinc liberos procreari doceat.

90.

In primo probationis membro iterum error *παρὰ τὸ μὴ αἰτιῶν ὡς αἰτιῶν* committitur. Quin igitur, si ita stat
sententia, parentes omni cura liberare, Baptismum et-
iam ocys è medio amoucant,

2. Iam vanitas huius obiecti suprà commonstrata
fuit: cuius summã Augustinus his verbis complexus est,
Sicut in latrone dextro, quod ex Baptismi Sacramento
defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non
superbia vel contemptu: sed necessitate defuerat: sic in
infantibus, qui non baptisati moriantur, eadem gratia
omnipotentis implere credenda est: quod non ex impia
voluntate, sed ex ætatis indigentia defuit. Viden' tu vir
Nouator, non orruï & naturæ: sed peculiari gratiæ omni-
potentis Dei tribui, vt de salute istorum infantum mini-
mè desperandum sit?

De Baptis.
contra
Donatist.
l. 4. c. 74.

3. Quod ad secundum membrum attinet, Agite
vos viri Nouatores, Apostolo dicam scribite, qui natura
nos filios iræ esse pronuntiat. Dauidem temerati ho-
noris conjugalis reum agite, qui in coniugio natus, in
iniquitatibus se formatum, & à matre in peccatis con-
ceptum esse fatetur. Iobem in ius vocate, qui omnes ho-
mines

mines de immundo semine conceptos esse asseuerat. Tum ad nos reuersi, iterum hoc accipite, quod est supra vobis probè inculcatum, Calumniam esse, quoties à Diabolo obsessos infantes appellatis, quos nos sub regno ac potestate Diaboli esse, vulgata Ecclesiæ locutione dicimus.

91.

Confutatis hætenus rationibus ijs omnibus, quibus Nouatores Adiaphori naturam, Exorcismo abrogare conati sunt, tametsi iam vltro sequitur, Stante Adiaphori istius veritate temerarium esse, quod abrogatione eius tractatur, consilium: tamen vt in veritatis sensu magis etiam confirmetur simpliciores, coronidis loco paucula *κατασκευασμένα* subiungemus.

92.

Principiò palmarium in hac disputatione illud est, quod ne vnum quidem Scripturæ testimonium producere possunt Nouatores, quo vel in specie prohibitus Exorcismus: vel in genere vetitum esse Ecclesiæ probeatur, ne ritus introducat, aut toleret quos ædificationi publicæ vtilis esse iudicat. Nam quod de qualitate ritus disputant, præterquam quod Ecclesiæ, non vnus & alterius personæ, est in hoc genere iudicium, quam friuolis ratiunculis, id agant, hætenus abundè demonstratum est.

93.

Pontificium esse ritum nugantur. Ergo sub Papatu inuentum atq; introductum eum fuisse, consequens fuerit. Quod si Papatu longè antiquiorem ritum istum esse demonstrabitur, an non vanitas istorum hominum manibus quasi palpabitur?

G 2

Cypria-

A. Christi
250.

Cyprianus Epist. l. 4. ep. 7. ad Magnum de efficacia Baptismi differens, Exorcismi in Baptismo disertè meminit, & per Exorcistas voce humana & potestate diuina immundos Spiritus flagellari ac torqueri inquit. Cum ad aquam salutarem atq; ad Baptismi sanctificationem venitur, scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo dicatus diuina indulgentia liberatur. Item: Manifestum est, Diabolum in Baptismo fide credentis excludi: si fides postmodum defecerit, regredi.

A. 370.

Gregorius Nazianzenus oratione, quam de S. Baptismi lauacro egregiam habuit, inter cætera grauius suos hortatur, Ne agrè ferant prolixiorum Exorcismi in Baptismo ceremoniam. Id in vltu Ecclesiæ tum fuisse Exorcismum luculenter testatur. Idem paulò post in exhortatione ad pietatem, argumento isto vtitur, Exiit à te impurus ille, & sordidus Spiritus, Baptismo pulsus. Non vult ergo eidem denuò locum præberi. Sanctitatem ergo quam ex vtero secum infantes afferant, Theologus iste non agnouit.

A. 380.

In occidentali Ecclesia Ambrosius de Sacramentis lib. 1. cap. 5. ritum Baptismi describens sic inquit: Vbi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit. Secundo super creaturam aquæ inuocationem, postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.

A. 395.

Augustinus in Aphrica ritum Baptismi suo tempore consuetum referens, de peccatorum meritis & remiss. l. 1. cap. 34. sic scribit: Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum qui contraria sapiunt,

unt, mihi baptisandum paruulum afferret. Quid in illo agit Exorcismus meus, si in familia Diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem paruulo, quem gestaret, quia ille pro se respondere non posset: Quomodo igitur dicturus erat, eum renuntiare Diabolo, cuius in eo nihil esset?

Idem de nuptijs & concupisc. l. 2. c. 18. In Ecclesia toto orbe diffusa ubiq; omnes baptisandi infantuli, non ob aliud exufflantur, nisi vt ab eis princeps mundi mitatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cum ex Adamo nascuntur, si in Christo non renascantur, & in eius regnum per gratiam, facta vasa misericordiæ, transferantur.

Grauius autem dici contra Nouatores nihil potest eo, quod est ab eodem Augustino eiusdem argumenti lib. 1. c. 20. perscriptum, quod quia toti præsentis materiæ exactè seruit, totum ascribere non piget: Non dubitat fides Christiana, quam hæretici oppugnare ceperunt, & eos qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate Diabolica, & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam paruulos filios redemptorum, sub eiusdem Diaboli esse potestate captiuos nisi & ipsi Christi gratia redimantur. Ad omnes namq; pertinere non dubitamus ætates illud, de quo Apostolus loquitur, beneficium Dei, Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ. Ab hac igitur potestate tenebrarum, quarum est Diabolus princeps, id est, à potestate Diaboli & angelorum eius, quisquis erui, cum baptisatur, negauerit paruulos: ipsorum Ecclesiæ sacramentorum veritate conuincitur, quæ nulla hæretica nouitas in Ecclesia Christi auferre vel mutare permittitur, regente atq; adiuuante

iuuante capite totum corpus suum, pusillos cum magnis. In veritate itaq; non in falsitate, potestas Diabolica exorcisatur in paruulis, eiq; renuntiant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, ut eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur, Quid igitur in eis est, per quod in potestate Diaboli teneantur, donec inde eruantur per Sacramentum Baptismatis Christi? quid est nisi peccatum? Non enim aliud inuenit Diabolus, unde possit humanam suo iuri mancipare naturam, quam bonam bonus autor instituit. Nullum autem peccatum paruuli in sua vita commiserunt proprium. Remanet igitur originale peccatum in paruulos propagari, per quod sub diaboli potestate captiui sunt, nisi inde lauacro regenerationis & Christi sanguine redimantur &c. Idem Epistola 105. ad Sixtum, Quod exorcisantur & exufflantur infantes, hoc procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcisantur & exufflantur, per quid dominatur nisi per peccatum.

98.

Optatus Milenitanus contra Parmenianum lib. 4. sic scribit circa eadem tempora; Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamuis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu Mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi & separari. Hoc Exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur.

99.

Similia plura habet Cyrillus Catechesi 1. Leo primus, Lactantius atq; alij, quos breuitatis studio iam non adducere libet. Ex quibus testimonijs duo falsissima

ſima Nouatorum *νενοφύετα* probè ſunt dijudicanda, quibus fingunt, Quoties apud priſcos patres Exorcismi fiat mentio (fieri enim negare ſe poſſe non ſine extrema impudentia agnouerunt) aut donum illud primitiue Eccleſiæ miraculoſum: aut ritum eum Eccleſiæ intelligi, quo circa tempus Paſchatis corporaliter obſeſſi liberabantur ijs potiffimum locis, vbi Baptiſmus Catechumenis conferebatur. Conſingi enim iſta, ne quid dicamus grauius, ij etiam vident, qui altero duntaxat oculo cæcuriunt.

100.

Vt ergo receptui in hoc tractatu canamus, ſic ſtat Orthodoxorum omnium de iſto negotio ſententia: Si Exorcismum commodo tempore, abusus exemplis manifeſtis deprehenſis, conſcia & conſentiente Eccleſia, ſub titulo rei adiaphoræ Nouatores abrogarent: neminem futurum fuiſſe, qui vel verbulo vno contra hiſceret.

Nunc quia vt ritum in ſe damnabilem damnant Exorcismum, & in eius obſeruatione reatum peccati longè atrociffimi ſtatuunt, in qua pij quippe indifferente peccatum nullum eſſe liquidò nouerint: Beatiffimi Lutheri noſtri exemplum imitati, quod ille in Eleuationis ritu reſeruato contra Carolſtadium bis præbuit, huc diſcedunt Orthodoxi, vt Nouatorum libidini & furori ne ad horam quidem cedant: non tantum ne Nouorum iſtorum hominum magiſterio (quod in Eccleſias iſti affectant) agnito, petulantiam eorum confirment: ſed imprimis, vt hoc facto conſcientiarū paci conſulant, quibus non poterant non acutiſſimi impingi ſcrupuli, ſi in ritu iſto per ſe tantum, quantum Nouatores dictitant, peccatum ineſſe agnoſcerent.

scerent. Ita Ergo Adiaphorum sibi ritum istum relinqui
Ecclesiæ Lutheranae volunt, vt tres, septem, aut decem
potius Exorcismos de nouo intro ducturi sint, quam pas-
suri, vt onus istud necessitatis in re indifferente consci-
entijs fidelium, ad corrumpendum libertatis Christianæ
bonum, vertiginosum illud genus hominum impone-
ret. Christus Iesus Nouatoribus sanam mentem, consci-
entijs nouatione istorum turbatis, veram Euangelij sui
lucem, nobis in eadem tuenda animam, vires & constan-
tiam semper largiatur: Cui sit cum Patre & Spiritu sancto
gloria in sempiterna secula. A M E N.

F I N I S.



AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sb

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







13

PROG A.
XORCISMI
PTISMO

VTATIO

In qua

ROCINIO

imi maximiq,

raefide

MYLIO DO-
PROFESSORE

O, EXERCII-
respondebit

NES HOFSTE-
e Ienensis Diaconus

ora & loco consuetis.



pis Tobia Steinmanni
o 1591.